

libet tyrannus potest et debet licite et meritorie occidi per quemcumque vassallum suum, vel subditum, etiam per clanculares insidias et subtiles blanditias, vel adulationes, non obstante quocumque præstito juramento seu confederatione facta cum eo, non expectata sententia vel mandato iudicis cujuscumque. At quale remedium adest, si regimem principis esset excessive tyrannicum? remedium quod suppetit, ait s. Thomas, est ad Deum recurrere, ut auxilium præbeat, *Quod si omnino contra tyrannum auxilium humanum haberi non potest, recurrendum ad regem omnium Deum, qui est adiutor in opportunitatibus.*

Præterea scribit doctissimus dom. Soto (l. 5. qu. 1. art. 8.): *Si is qui ad-oritur sit rex, princeps, vel alia persona valde utilis reipublicæ, et persona quæ invaditur sit abjecta et vilis, cuius nihil intersit reipublicæ, tunc subeunda est mors personæ in vase, omittendaque defensio; intellige cum nece principis.* Hæc sententia non placet p. Danieli Concina, dicenti unumquemque de jure naturæ et charitatis magis amare propriam quam alienam vitam. Sed hoc non obstante sententia Soti placet mihi, et probabilissima videtur; ratio est, quia quisque privatus commune bonum omni suo bono temporali præferre tenetur, omneque temporale pati detrimentum ad damnum gravissimum communitatis vitandum, atque hoc gravissimum damnum profecto communitas sufferret, ut supra consideravimus, si princeps a propriis subditis interficeretur. Licet quidem est necare injustum aggressorem privatum cum moderamine inculpatae tutelæ, si nullum patet effugium evadendi mortem. Sed quod procedit respectu vitæ privatorum, locum non habet respectu vitæ regnantium. Valde enim diversa ratio habenda est inter privatorum et principum vitas, reges sunt *uncti Domini*, ideoque ipsorum personæ sacræ eorumque vitæ

pretiosæ ac nimis necessariae sunt ad pacem populorum bonumque publicum servandum. Si occiditur injustus aggressor, damnum ipsi soli evenit, non autem reipublicæ, imo ejus mors bono communi proderit, ut insolentia temerariorum reprimatur; at si princeps per manus suorum subditorum vita privetur malum (ut supra perpendimus) commune evadit et immensum, propter innumera flagitia, deordinationes et schismata quæ propterea deinde sequuntur.

14. Et hæc ratione dicunt etiam Navar. Azor. Molin. Less. Vasq. Layman, Lugo, Ronc. Salm. et alii, licere nobili laico occidere, non in vindictam, sed tantum ad defendendum se ab eo qui graviter offendere vellet eum in honore, et non jam solis verbis (quia verbis potest verbis occurrere, v. g. respondendo illum mentiri etc.), sed etiam factis, v. g. calcibus, colaphis aut similibus injuriis gravibus: quibus tamen semel illatis non potest amplius compensari, repercutiendo, quod quidem non licet, uti habetur ex propos. 30. ex damnatis ab Innocentio XI. quia tunc non esset defensio sed vindicta. Quare post illatam injuriam non est amplius licitum ferire percutientem, nisi ad impediendas novas percussiones, quæ præter contumeliam graviter corpus læderent, et nullus alius occurreret modus, quo ab illis defendat. Dicunt vero *nobili laico*, quia non licet hoc plebeis, nec clericis, aut religiosis, cum illos fuga non deceat, ideoque tenentur fugere, semper ac sine vitæ periculo possunt (2). Cæterum etiam respectu secularium hæc sententia quoad proxim parum aut nihil deserviet, quia in praxi, ut sapienter censet Sylvius, impossibilis aut valde rarus erit casus, quo ea licebit uti. *Etiamsi* (ait Sylvius) ho-

(1) S. Antonin. 3. p. 1. 4. c. 3. Silvest. v. Bellum. n. 4. — (2) Lib. 3. n. 381.

nor sit bonum præstantius quam divitiæ, aut nullum, aut rarissimum arbitramur esse casum, quo pro defensione solius honoris licet aggressorem interficere (1).

15. Eadem ratione communiter affirmant s. Anton. Suar. Soto. Cajet. Less. Bonac. Lugo, Ronc. Salm. et alii, licere etiam occidere furem rei magni momenti, semper ac admonitus fur ne rapiat vel ut relinquat illam nisi occidi vellet, ille obstinate recusaret. Hujus sententiæ certe est s. Thom. (2) qui, ut probaret licere vitam cum occisione aggressoris tueri, affert textum *Exod. 22. 2. : Si effringens fur domum, seu suffodiens inventus fuerit, percussor non erit reus sanguinis.* Et postea subjungit Sanctus: *Sed multo magis licitum est defendere propriam vitam, quam propriam domum.* Et probatur etiam ex *cap. Dilecto, de sent. excomm. in 6.* ubi declaratur licere defendere bona gladio tam temporalia, quam spiritualia (3). Dictum est tamen *rei magni momenti*, quia non sufficit valor non solum unius aurei (nempe ducati), ut dicebat prop. 31. ex damnatis ab Innoc. XI. sed nec etiam octo aut decem aureorum. Dicunt Molina, Vasq. et Salm. esse eam magnam summam, cujus amissio est ei notabilis damno. Cardenas dicit summam 40 ducatorum esse magnam respectu uniuscujusque. Sed Viva et Elbel putant illam esse magnam summam hoc casu, quæ sola ablata, deesset alicui sustentatio pro se et suis. Nec opinioni nonnullorum dd. assentio, posse nobilem se defendere armis a fure, qui sibi vellet vi auferre aliquid etiam minimum ob respectum injuriæ, quia hæc in tali occasione non videtur adeo gravis, ut possit dari fur morti, ut bene dicunt Diana et Salm. (4). Contra, juxta sententiam probabiliorum Less. Lug. Vasq.

(1) Sylvius in 2. 2. q. 64. d. 7. q. 9. — (2) 2. 2. q. 64. a. 7. — (3) Lib. 3. n. 383. — (4) Ibid. Quar. 2.

Busemb. Tanner. Malder. (contra Salm. Bonac. etc.) licite potest dominus occidere furem, qui vult impedire eum, quominus rem ablatam reaccepiat (sed valoris supra jam descripti), cum alius modus eam recuperandi non occurrit; nam tunc fur est vere aggressor (5), et hoc quod permittitur laicis ad suorum bonorum defensionem, licere etiam clericis et religiosis, dicunt communissime Lugo, Becan, Lessius, Tanner. Salm. Elb. Busemb. etc. et probatur ex citato textu *cap. Dilecto* (6). Nec isti tunc incurunt irregularitatem (7). Et illam defensionem, qua potest dominus se tueri per seipsum, potest etiam adhibere per suos servos; Nav. Lugo. Laym. Sporer, Salm. Elbel, etc. (8).

16. Si autem licet occidere bonorum aggressorem, tanto magis licet se defendere a pudicitia aggressore, cum nullum aliud medium subest, ut dicunt dd. communiter. Et quamvis, postquam patratum est, non liceat aggressoris ulcisci; nihilominus recte advertit Lugo, licere (et ego addo etiam expedire) ut mulier oppressa (dummodo hoc faciat immediate post injuriam acceptam, non tamen ob vindictam) procuret insultare eum, qui injuriam sibi intulit, pugnibus, alapis (et etiam, ut dicunt alii, aliquo vulnere, non tamen gravi nec periculoso), ut cognoscatur quæ sit sua constantia et molestia concepta, et ita ille iterum non audebit eam vexare (9).

17. Quemadmodum licet vitam propriam defendere, sic etiam vitam proximi innocentis etiam morte injusti aggressoris, ut docet s. Thomas (10) et alii communiter. Nec obsat dicere quod proximus potest cedere defensionem vitæ suæ; quia licet possit ille cedere juri se defendendi, non potest tamen cedere vitæ suæ, cujus dominus non est. Magistratus et etiam satellites ad id stipendio conduc-

(5) Ib. Quar. 3. — (6) n. 384. — (7) L. 7. n. 389. — (8) L. 3. n. 385. — (9) L. 3. n. 386. — (10) 2. 2. q. 60. a. 6. ad. 2.

ti ex justitia tenentur innocentium vitam defendere, et etiam cum periculo vitæ propriæ, cum agitur de bono communi, ut esset publicos latrones interficere; ita Less. et Salm. Dicunt autem Salm cum Navar. Bonac. etc. etiam privatos teneri innocentis aggressorem occidere, si possunt, sine gravi incommodo: sed probabilius id negant Lessius et Lugo, quia in praxi hominem occidere non potest esse sine magno horrore, quale est manus sanguine humano fœdare. Excipiunt tamen dd. si aggressus esset necessarius bono publico; aut esset suus pater, filius, aut frater (1).

18. Ita etiam dicunt communissime Lessius, Filliuc. Bonac. Lugo, Salm. Trull. etc. licere occidere aggressorem pudicitiae aut honoris proximi, si ille factis velit eum offendere, ut dictum est n. 14. Sed quoad pudicitiam hoc non intelligitur, quando mulier expresse aut tacite assentitur; excepto tamen, si illa esset tibi conjuncta, et tu non posses tuo dedecori consulere, nisi aggressorem vulnerando (2). Ita etiam dicunt s. Antoninus, Less. Navar. Bonac. Lugo, Molina et Salm. licere innocentis bona magni valoris tueri morte aggressoris, cum aliud medium non extat; nam in omnibus istis casibus ratio in principio adducta semper valet, nempe quod ordo charitatis in præferenda vita proximi bonis temporalibus locum habet quando proximus in extrema necessitate positus est, non autem quando ille voluntarie subijcere vult se periculo suæ mortis (3). Advertantur hic propositiones damnatæ 18. ab Alexandro VII. et 30. 31. 32. et 33. ab Innoc. XI.

19. Quæstio 1. est, an liceat aliquando aggressorem vitæ occidendo prævenire? Duplex est sententia, sed istæ Soto, Azor. Covarr. Ronc. Busemb. Salm. etc. conciliantur, dum dicunt, quod si quis moraliter sit certus inimicum determinatum esse ad se occidendum, v. g. pro certo ha-

(1) L. 3. n. 390. — (2) n. 391. — (3) n. 392.

bet jam ad hoc arma parasse, aut commisisse sicario sui occisionem, tunc bene potest prævenire, si alio modo insidias et mortis periculum aufugere nequit; secus autem si de hoc tantum aliqua suspicio aut dubium sibi subortum esset; dum justum non est inimicum vita orbare ob simplicem dubium timorem (4). Ceterum quod ad praxim spectat, difficillimus erit casus, et fera moraliter impossibilis, quo licitum esse possit aggressorem prævenire, difficillime enim ille, qui aggressionem timet, poterit habere certitudinem futuræ aggressionis, nisi præveniat necando aggressorem.

20. Quæstio 2. an liceat adultero, ut defendat vitam suam, occidere virum qui in se invadit? Adulter tenetur certe fugere, si potest, nam in tali casu etiam nobili non est dedecus fugere; saltem non est dedecus grave. Sed si sine vitæ periculo fugere non posset, alii dd. reum homicidii, si occidit, faciunt; alii non. Nos distinguimus cum Suarez, Layman, Castrop. Coninch. Salm. Ronc. Sporer etc. ita: Si ille prævidit proximum periculum aggressionis viri, et audenter velit suam pravam intentionem exequi, tunc non potest ab homicidio et irregularitate excusari, quia tunc adulterium est proximum periculum homicidii, ut dicemus de censuris *Tractatu* 19. n. 8.; secus autem si periculum esset remotum, ut si adulter cum cautela procederet (5).

21. Quæstio 3. an aliquando liceat innocentem occidere? Directe nunquam licet; sed in certis casibus licet indirecte: 1. Si tyrannus minatur civitatis excidium, nisi innocens occidatur, non licet jam eum occidere, sed permissum est eum tyranno tradere, si ipse se præsentare renuit, ut probabilius dicunt Molina Less. Layman Lugo Filliuc. Busemb. contra Sotum etc. quia tunc ille ut evitet commune damnum, tenetur se

(4) L. 3. n. 387. — (5) n. 398.

præsentare; qua de re, cum id recusat, fit reus, et tanquam reum potest respublica eum tradere (1). 2. Si quis equo sedens fugiendo nequit mortem evadere ab inimico persequente, nisi morte pueri qui in angusto calle reperitur, potest ille quidem occidere, modo puer sit baptizatus; Sanch. Less. Lugo Fill. Salm. Prado et alii communiter (2). 3. Licet in bello tormenta bellica versus inimicorum stationes dirigere, licet innocentes mortem passuri essent; Less. Busemb. etc. (3).

22. Quæstio 4. an liceat esse causam abortus? Abortum ex proposito procurare, certe est semper illicitum, licet fœtus esset inanimatus; quia si nullius vitæ nocetur, saltem nocetur naturæ generationis. Et hic advertendum est Sixtum V. in Bulla *Effrenatam* præter pœnas privationis privilegiorum clericalium et beneficiorum et inhabilitatis ad ea recipienda, imposuisse excommunicationem papalem ipso facto, et irregularitatem omnibus asscienter abortum fœtus (animati vel inanimati) procurantibus cooperatione, consilio, aut favore. Sed postea Gregorius XIV. Bulla *Sedes apostolica* 1591. restrinxit præfatam excommunicationem et irregularitatem dumtaxat ad abortum fœtus animati (4), et facultatem dedit Episcopis et aliis ab ipsis ad id deputatis specialiter, absolvendi ab hac excommunicatione; id tamen non excludit quin ab ea possint absolvere etiam alii, quibus Episcopus generaliter facultatem concedit absolvendi ab omnibus casibus a Papa sibi reservatis, ut dicunt valde probabiliter Bonacina Elbel Sporer (5). An ab ea possint absolvere regulares, vide *Tractat.* 20. num. 100. Sed hic notandum 1, quod cum in Bulla Sixti V. dicatur *scienter*, non incurrunt excommunicationem et irregularitatem illi qui ex ignorantia crassa sunt causa abortus, ut communiter dd. (6);

(1) L. 3. n. 393. — (2) Ibid. — (3) ib. ad 4. — (4) n. 395. — (5) n. 397. — (6) n. 395.

vide de censuris. Notandum 2. varias esse opiniones circa tempus quo fœtus judicandus sic animatus (7), sed communissima vult fieri animationem post dies 40. a conceptione, si proles est mas, post 80. si est femina; ita Silv. Azor. Elbel Busemb. et Salm. cum s. Thoma (8) (qui extendit usque ad 90. dies pro foemina); et hanc sententiam, ait Continuator Tournely (9) esse fere omnium theologorum, et addit cum Navarro et Silvio hanc teneri a sacra Pœnitentiaria cum agitur de pœnis et irregularitatibus.

23. Sed hic dubitatur 1. an incurrant excommunicationem mulieres prægnantes, quæ sibi abortum procurant? Multi affirmant cum Bonac. Viva Spor. etc. ex eo quod in Bulla Sixti V. (§ 5.) dicitur: *ac mulieres ipsas quæ pocula scienter sumpserint*. Sed est valde probabilis et ratione intrinseca probabilior sententia negans cum de Lugo Avila Lezana de Leone Salmant. etc. quia prædicta verba Bullæ intelliguntur tantum de pœnis temporalibus non vero spiritualibus; et hoc deducitur ex verbis sequentibus (§ 7.) ubi dicitur: *Insuper ut hujus delicti gravitas non solum temporalibus, sed etiam spiritualibus pœnis prospiciamus, omnes qui, vel quæ, uti principales, vel ut socii, ad tale facinus, opem, concilium, favorem dederint etc.* Et istis solum cooperantibus videtur imposita fuisse excommunicatio, non autem prægnantibus, dum illæ hic non exprimentur, sicut antecederent in aliis pœnis expressæ sunt. Nec excommunicatio hic imponitur omnibus abortum procurantibus, sed dumtaxat principalibus sive sociis præbentibus auxilium, consilium aut favorem: quod intelligi non potest de muliere, de qua dici non potest quod ipsa sibi met præbeat auxilium aut consilium etc. (10).

(7) n. 394. Qu. III. — (8) n. 3. d. 3. q. 5. a. 2. — (9) tr. de dec. c. 2. de 5. præc. art. 3. d. 1. — (10) L. 3. n. 395. Quær. 5.

24. Fit dubium 2. an incurrat irregularitatem qui abortum procuravit in dubio, fuerit nec ne animatus? Affirmant Salm. Viva, ex cap. *Ad audientiam, de homic.* et aliis textibus similibus ubi dicitur: in dubio an in homicidium concurrerit vel ne, habendus esse pro irregulari. Sed sententia huic adversa, quam tenent Præpos. Giball. Maia Pelliz. Marchant. Verde Tambur. Elbel Diana Sporer, et alii cum docto auctore *Instruct. pro confessariis nov.* mihi videtur certa. Et ratio videtur esse convincens, quia ex una parte habemus in cap. *Is qui, de sent. excom.* irregularitatem non incurri, nisi in lege expressa sit. Ex altera, in nostro casu nullibi expressum est quod hæc irregularitas incurratur; nam quamvis in allegatis textibus irregulares declarati fuerunt aliqui de quibus dubitabatur an fuerint vel ne causa homicidii, tamen certum erat quod homicidium patratum fuerat; sed in nostro casu, cum sit dubia fetus animatio, dubium est etiam homicidium. Itaque nos sumus in casu, cui non reperitur expresse ab aliqua lege imposita irregularitas. Secus contra est dicendum de iis, de quibus dubitatur an sua opera concurrerint nec ne in abortum (1). Si autem dubitaretur de concursu tantum verbali, mandato aut consilio patrato, observa quod dicitur de irregularitate *Tract. 19. n. 7.*; et quod hic dicitur de irregularitate, erit dicendum de excommunicatione; sed quoad irregularitatem, dispensatio a nemine nisi a Papa obtinenda est. An autem Episcopus possit dispensare cum iis qui abortum procurarunt, circa inhabilitatem ad obtinenda beneficia; affirmant Elbel Sporer et Roncagl. contra Anaclet. (2). Vide quod dicitur est *Tract. 2. n. 58.*

25. Dubitatur 3. (redeundo ad quaesitum propositæ quaestionis IV.) an liceat matri medicinam sumere directe ad expellendum fœtum inani-

(1) L. 3. n. 396. — (2) n. 396.

mem? In hoc ex una parte certum est ex se loquendo, non licere (ut principio dictum est) directe fœtus etiam inanimis expulsionem procurare (modo jam non esset certe corruptus) quacumque ex causa, quamvis mater cæteroquin esset in mortis periculo, aut propter parentes ex sua prægnatione injuria affectos, ut irrationabiliter permittebat propositio 34. damnata ab Innoc. XI. aut propter periculum quod mater in aliis partibus experta sit, ut dicitur cum communi sententia Sanch. Azor. et Petrocoren. Ex alia parte certum est apud omnes licere remedium præstare matri, directe ad medendum ejus morbo, licet cum periculo abortus, cum morbus est mortalis. Hoc posito, multi dd. dicunt in eo casu licere fœtum expellere, qui certe non sit animatus, etiam directe, quia tunc (ut dicunt) habetur fœtus tanquam vitæ matris aggressor. Alii dd. contra communis hoc negant. Sed recte hic ait Basemb.: Quid refert opinione opposita uti de directa expulsionem, cum juxta omnes potest sine culpa fœtus indirecte expelli (3)?

26. Dubitatur 4. an liceat matri prægnanti de fœtu animato medicinam sumere directe, ut convalescat, sed cum prolis periculo? Cum moraliter certum judicetur quod, moriente matre, moriatur etiam proles, nulli dubium est hoc licere. Difficultas versatur cum aliqua spes affulget quod, moriente matre, possit proles supervivere et baptizari. Hoc permittunt etiam in tali casu Holzm. Prado et Salm. dicendo quod obligatio vitam temporalem fundendi ut vita æternæ proximi procuretur, tunc adest, cum proximi salus spiritualis est certa, non vero cum est dubia. Sed huic opinioni ego nescio acquiescere, quia aliud est debere se exponere morti ad proximi salutem obtinendam, et hic regulæ adversariorum (nempe quod salus proximi debet esse certa) locus datur; aliud est

(3) n. 394. v. Quar. igit. 1.

ob defendendam propriam vitam positive proximum æternæ mortis periculo exponere; cum enim æquale est periculum tam matris quam prolis moriendæ sine baptismo, certum mihi videtur quod, ordine charitatis spectato, magis evitandum est periculum prolis, quam matris: quare puto omnino tenendum cum Petrocorense Elbel et Tournely, (qui citans Sylvium Comitolum et Habert vocat communem hanc sententiam) præbere medicinam matri cum periculo fœtus animati licere in eo solo casu, quo nulla spes appareat rationabilis de prolis vita, ut possit baptizari post matris mortem; nam tunc tantum videtur non obligare charitas matrem (in extrema necessitate positam), ut abstineat a medicina, ob solam remotissimam spem quæ haberetur de vita prolis. Quapropter Salmanticenses dicunt medicos non debere adeo scrupulosos esse in præbendis medicinis mulieribus prægnantibus, quia rarissimus est casus, imo moraliter impossibilis, ut sentiunt Sanch. Lugo et Ronc. quod si mater moriatur, proles supervivat. Et idem confirmarunt plures medici docti, quos ego consului de hac re; cum enim mater aliquo morbo mortali laborat, humores corrumpuntur, et alimentum prolis contaminant, adeoque proles moritur probabilissime, dum (et forsitan antecederet) mater moritur (1). Nihilominus est qui mihi æstatur non semel accidisse, quod ob peritiam chirurgorum statim ac mater spiritum exhalaverit, inciso matris utero, proles viva extracta fuerit, et baptizata. Non autem licebit matrem incidere cum periculo probabilis mortis, ut baptizetur proles, etiamsi adesset ejus assensus. Si tamen periculum matris esset remotum ob peritiam chirurgi, tunc posset incidere, et ipsa teneretur incisionem perferre. An autem ex tali incisione possit infans ad baptismum pervenire, sine periculo gravi

(1) Lib. 3: n. 394. v. Quar. 11.

matris, videant experientiam callentes; mihi enim hoc difficile videtur (2)

CAPUT III.

DE DUELLO ET BELLO.

27. *Punct. I. De duello. Propositiones damnatæ a Benedicto XIV. circa duellum*
 28. *Quando duellum erit licitum; pœnæ in duellantes.*
 29. *Punct. II. de bello. An liceat bellum movere cum opinione probabilis.*
 30. *An liceat inimicos fidei in auxilium vocare.*
 31. *An miles possit bellare in dubio justitiæ*
 32. *Quæ actiones in bello liceant.*

PUNCTUM I. De Duello

27. Duellum est pugna inter duos aut plures ex conducto præcedenti de loco, die et armis. Duellum non est licitum nec ad veritatem indagandam, nec ad lites finendas, nec ad objecti criminis purgationem, et tanto minus ad timiditatis notam (ut permittebat proposit. 2. damnata ab Alex. 7.), aut ignominie vitandam, licet tantum apparenter fieret; itatenendum cum communi contra alios. Et advertendæ hic sunt 5. propositiones novissime damnatæ a Benedicto XIV. 10. nov. anni 1752. in Bulla *Detestabilem*, et sunt sequentes: I. *Vir militaris qui nisi offerat et acceptet duellum tanquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio quo se suosque sustentat privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa et pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.* II. *Excusari possunt etiam honoris tuendi vel humane viltensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse sequituram, utpote ab aliis impediendam.* III. *Non incurrit ecclesiasticas pœnas contra duellantes latus dux vel officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis samæ, vel officii.* IV.

(2) Lib. 6. n. 406. v. Omnino.